



aliquid in eo repererint, pie condonabunt et indulgabunt. Pro quo humiliter supplico Reverentias eorum.

Porro si libellus iste ad manus venerit illorum, de quibus habetur **Distinct. XXXVII.** Sacerdotes, qui omissis Dei evangeliiis et Prophetis comoedias legunt, et amatoria Bucolicorum versuum verba canunt, et Virgilium tenent, et **(3A)** Carmina poetica student, et in pompa rhetoricorum verborum gaudent, scio, me non posse eorum detrectationes, derisiones, et subsannationes evadere. Qui omnia Scripta, etiam Canonica et Sancta, Rhetoricis floribus non redimita, aut locutionem Tullianam non redolentia dilacerant, et auctores eorum derident. Talibus Evagatorium nostrum fastidiosum erit, quia curiosa amant, Sacram Scripturam vilipendunt, Jerusalem non diligunt, et maxime si Felicem spernunt, quem garrulum et indoctum proclamabunt. Sed licet, inquit Hieronymus exedra sibilet, et victor qui si incendia non jactet, numquam meum Christo juvante silebit eloquium, etiamsi praecisa lingua balbutiet, quae adhaereat opto faucibus meis. Si non meminero tui, o Jerusalem. Legant, qui volunt; qui nolunt, apices eventilent. Ego destinato operi imponam manum, et scyllaeos canes obturata aure transibo.

Vos autem, fratres mei charissimi, Evagatorium accipientes primum eximio Sacrae Theologiae Professori, Magistro Ludwico Fuchs, Priori nostro praedigno, examinandum, corrigendum-que praesentate. Quamvis enim ipsum vile opusculum non magnopere aut necessario veniat corrigendum, quasi periculo alicui esse possit: Absque tamen suae Rever. Paternitatis nutu et consensu in publicum prodeat nolo. Et in hoc non modo suae venerandae Paternitati detulisse, sed et ipsi opusculo videar consuluisse. Scio equidem et certus sum, quod ipsum Evagatorium, dum ex cella tanti Doctoris egredi videbitur, auctoritatis et splendoris plurimum accipiet atque valoris. Etiam pro eo habendo laborabunt, qui ante suae Paternitatis inspectionem de luto non levassent. Sic ergo, fratres amantissimi, per omnia quaeso facite, et in vicem laborum meorum Deum misericordem pro me deprecamini, et Reverendo nostro Magistro et Priori, praeceptori meo observantissimo, me recommendate. Valet in aevo felici.

021

019

025

015

030

010

070

120

Ende

Anfang